



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

386. Qualiter Electus præstare debeat consensum suum, ne vitietur electio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

Religiosus, ut dicitur, non habeat in hoc velle, aut nolle.

Questio 383. Num Electores consensum nominati in scrutinio ante factam electionem communem, etiam post publicationem scrutinii, inquirere, & nominatus eum praestare possint?

R Espondeo negativè. Quin & si id fiat, electionem ipso jure esse nullam. Abb. Innoc. Butr. in c. cum post. h. r. ibid. Barb. n. 2. Lamb. de jure p. 1. 1. p. 1. q. 9. a. 13. n. 2. Tamb. de jure Abb. tom. 1. d. 5. q. 22. n. 4. Sigism. d. 39. n. 1. Peyr. in subd. q. 1. c. 37. pass. v. electio. n. 12. Pass. loc. cit. n. 3. Porro cassandæ in dicto casu electionis ratio non est ambitio nominati, ut volunt Barb. & Sylv. (etsi enim ambitiosum praesumatur & sit, consentire propria electioni ante publicationem scrutinii, seu antequam constet, Electores sibi suffragatos esse; non est tamen ambitiosum aliquem postquam ei aperto scrutinio constat, se à majore parte nominatum, adeoque judicatum idoneum Praelaturæ, consentire electioni suæ; cum talis jam non consentiat, nisi vocatus à DEO & fratribus. Abb. in c. cum jure. h. r. Pass. n. 5.) sed quia id ipsum est contra formam cap. quia propter. utpote quod præcipiendo, ut habita collatione, mox nominatus à majore parte eligatur, ventat, ullo actu interposito (qualis est tam inquisitio consensûs facta ab electoribus, quam consensûs praestitus à nominato) collationem & electionem communem interrumpi, & differri. Abb. in c. cum post. petram. n. 4. Miran. tom. 2. q. 23. a. 29. Sigism. loc. cit. n. 3. Pass. loc. cit. Unde sequitur, etiam si nominatus requisitus non consentiat, ex eo solum electionem esse nullam, quod prius electores exquisiverint consensum nominati. Argumento c. cum post. ubi nulla fit mentio praestiti à nominato consensûs, sed solum consensûs requisiti, & cassatur ibi electio ob inordinatum in ea servatum processum, consistente hac inordinatione in eo, quod non fuerit servatum in ea ordo statutus in c. quia propter, ut nimirum sine actu intermedio mox post collationem fiat electio. Pass. n. 7. contra Sigism. dub. 39. n. 4. Tamen igitur quandoque sit utile, ante electionem explorare consensum eligendi (intellige per requisitionem privatam non factam à Capitulo) ne in vanum fiat electio communis (qualiter intelligendus est Abb. in cit. c. cum post. & alii DD.) non licet tamen id facere velut ex officio & per publicam requisitionem Capituli, divertendo per actum istum intermedium ab electione; cum immediatè ad eam est procedendum. Pass. loc. cit.

Questio 384. Quando nam igitur, & qualiter (ubi consensus hic requirendus est) electores teneantur illum requirere?

R Espondeo: intra octo dies à completa electione communi. cit. c. cupientes, & ibi DD. communiter. Si tamen hoc commodè facere possunt, de quo judicare erit judicis. Barb. ad cit. c. cupientes, n. 10. Pass. n. 11. Qui in praesente est confirmator, etiam si is non sit ordinarius Superior, sed delegatus. Abb. in c. publicato.

2. Octo diebus illis elapsis, si Electores omiserint consensum illum exquirere, praesumuntur id fecisse ex dolo vel negligentia culpabili, Barb. loc. cit. puniuntur autem penâ duplici, exclusionem nimirum à prosecutione processûs, & suspensione

P. Leuten. Fori Benef. Tom. II.

per tres annos continuos, ab omnibus beneficiis, quæ habent in ea Ecclesia, pro qua fit electio. Barba. loc. cit. Tamb. de jure Abb. tom. 1. d. 5. q. 7. n. 50. Mirand. tom. 2. q. 23. a. 10. Pass. n. 12. Porro lapsus temporis inducit praesumptionem culpæ contra omnes, unde nullus liberabitur à dicta pœna, nisi qui probaverit se innocentem ab ista negligentia. Gl. v. culpabiles. Pass. n. 14. Quin etiâ negligentia missi ad praesentandum electionem electo redundat in mitiores, nempe Electores, si miserunt talem, qui non videbatur diligens. Gl. cit. & Gemin. in cit. c. cupientes, n. 5. Pass. n. 15.

Questio 385. An sufficit Electores praesentare electionem Procuratori generali ipsius Electi?

R Espondeo negativè, nisi ubi Electus ipse infra tempus ratam habeat praesentationem; sufficit tamen, si praesentarint illam Procuratori ad hoc specialiter instituto.

Questio 386. Qualiter Electus praestare debeat consensum suum, ne vitietur electio?

R Espondeo primò: si ante electionem communem requiratur ejus consensûs, ita se gerere debet, ut non exprimat determinatè consensum suum in electionem; quamvis necesse non sit dicere: Nolo eligi; sed sufficiat dicere, v. g. Obsequar voluntati DEI, & Superiorum: opto me esse dignum, ut eligar. &c. Abb. ad c. cum post. n. 5. Biach. p. 3. c. 42. n. 3. Sigism. dub. 39. n. 5. Pass. n. 16.

2. Respondeo secundò: dum post electionem requiritur consensûs, statim determinatè consentire poterit, etsi honestum, ut id non nisi cum matura deliberatione faciat. Quod si autem ex honestate & urbanitate dicat, se nolle consentire, non per hoc censendus est renunciare. Abb. Pass. II. cit. Rota decis. 636. recent. imò postquam semel verè dissentit, potest murare voluntatem, & electionem acceptare, electoribus persistentibus in priorè voluntate. Sigism. & Pass. II. cit. Sanch. de matrim. l. 5. d. 32. n. 2. Moner. de commut. ult. vol. c. 8. n. 845. uti etiam renunciatione subsistente, & admissâ potest renunciâns reeligari, Paris. de resignat. l. 15. q. 1. n. 24. Pass. n. 25.

Questio 387. Num electus sine licentia Superioris possit ante confirmationem renunciare electioni in manibus eligentium?

R Espondeo: id eum posse, etiam postquam consensit electioni, re adhuc integrâ, hoc est, antequam confirmator receperit instrumentum seu decretum electionis missum ad confirmatorem; posseque tunc Electores alium eligere, nullâ aliâ licentiâ vel decreto confirmatoris expectato. Abb. in c. quia propter. n. 5. Sigism. loc. cit. n. 8. Paris. de resignat. l. 1. q. 1. n. 78. Pass. n. 17. citans plures alios. Re verò non amplius integrâ, eò quod decretum dictum & negotium jam delatum ad confirmatorem, si electus renunciât, non possunt Electores absque confirmatoris licentiâ procedere ad novam electionem. AA. iidem. Verùmque id est sive aliquid opponatur electioni, quod eam vitiet, sive non. Pass. n. 18. contra Sigism.

loc. cit. n. 10.

**

N 3

Qua-